

# **Tito Vespasiano Strozzi Giovanni Gioviano Pontano**

**Tito Vespasiano Strozzi  
(Titus Vespasianus Stroza, Strozius, 1424–1505)**

## **2. quod die solemni diui Georgii amare Anthiam coeperit**

Candida lux aderat maiis uicina Calendis,  
Quam festam ueteres instituistis aui;  
Quam pio solemni celebrat Ferraria cultu  
Aurea cum admissis praemia ponit equis;  
Cumque frequens tardos populus spectatur asellos  
5       Increpat et plausum turba iocosa ciet;  
Cum rapido certat inuenum manus aemula cursu,  
Vitta retroflexam cui premit alba comam;  
Tempore quo Zephyrus uiridanteis euocat herbas  
10     Et uario pictam flore colorat humum;  
Purpureo cum uere nouus redit annus et ales  
Plurima frondosis garrit in arboribus.  
Hic dum sollicito spectarem lumine cursus,  
Ante mea arcitenens constituit ora puer.  
15     Aurea cui laeuia pendebat parte pharetra,  
Nudus, et aspectu blandus et acer erat.  
Isque, ubi collegit celeres, quibus utitur alas,  
Deprompsit niuea splendida tela manu.  
Atque ait, o Iuuenis uolucrum mirator equorum,  
20     Quod mirere magis, nunc mea dextra dabit.

Dixerat, et pariter sonuit cum uoce sagitta,  
Inque meo subitum pectore uulnus erat.  
Tum calor insuetus uenas penetrauit ad imas  
Et magni patuit uis manifesta Dei.  
25 Dum stupeo, conorque nouas extingere flamas,  
Subridens pennis euolat ille suis.  
Acer ut insolitae calabri domitoris habenae  
Pugnat equus campis qui modo liber erat,  
Post tamen audacem discit tolerare magistrum,  
30 Et fractus docta concidit arte furor;  
Haud aliter mentis constantia uicta seuerae  
Et mea corripuit plurimus ossa Deus.  
Collaque submisit domito luctantia fastu,  
Et dominam uictor, seruitiumque dedit.  
35 Tum monuit tenerae ualeat quid gloria formae  
Quid faciles oculi, uirgineusque pudor.  
Nec mihi consilio, nec prodest uiribus uti,  
Et bene libertas ante retenta perit.  
Felix, qui sacros tutus contempsit amores,  
40 Nec dominae insanum pertulit imperium;  
Sed felix nimium rursus, nimiumque beatus  
Si cui se facilem praebuit ipsa Venus... .

### **3. qualis uisa Anthia sedens sub umbra in Coppari agris**

### **4. laudat Anthiam a forma et moribus**

### **5. de discessu Anthiae ex urbe Ferraria**

Postquam Ferrariae discedens moenia liquit  
Anthia, Ferrariam liquit et ipsa Venus.  
Mollis Amor simul Hetruscas migrauit ad urbes,  
Secum blandicias, deliciasque tulit.

### **6. amica potitus gloriatur**

Di superi, Venus alma, puer uenerande Cupido  
Nox hesterna mihi gaudia quanta dedit!

- 7. ad annulum quo donatus fuerat ab amica**  
**8. apologia pro amore ad Ianum Pannonium. Antiquis  
uatibus comparandum, qui postea creatus est  
Quinquecclesiensis episcopus, ut sinat se placito indulgere  
Amori**

**4, 25. ad Anthiam amicam quod soluerit fidem**

Quod toties timui, quod tu mihi saepe negasti,  
    Iam non ulterius dissimulare potes.  
Ipse ego, nec fallor, coram tua crimina uidi,  
    Et me (quod nollem), perfida, teste rea es.  
    5 Vidi ego, cum iuuenis nocturno tempore furtim,  
        Me miserum, uestris prodiit e foribus.  
O ego, ne facinus spectarem, impura, nefandum,  
    Quam mallem trucibus praeda fuisse feris;  
    Vel posuisse breuem, properato funere, uitam,  
    10 Vagitus primos cum tener ore dedi!

**4, 31. ad Anthiam quod eius perfidiam deprehenderit  
quodque ab eiusdem amore penitus se alienauerit**

**5, 1. ad Pium Secundum Pontificem Summum in aduentu  
eius Ferrariam commendatio quod bellum adversus Turcos  
meditetur**

## **Giovanni Gioviano Pontano (Ioannes Iovianus Pontanus, 1429–1503)**

### **8. naenia prima ad somnum prouocandum**

Somne, ueni; tibi Luciolus blanditur ocellis;  
Somne, ueni, uenias, blandule somne, ueni.  
Luciolus tibi dulce canit, somne, optime somne;  
Somne, ueni, uenias, blandule somne, ueni.  
5 Luciolus uocat in thalamos te, blandule somne,  
Sommule dulcicule, blandule somnicule.  
Ad cunas te Luciolus uocat; huc, age, somne,  
Somne, ueni ad cunas, somne, age, somne, ueni.  
Accubitum te Luciolus uocat, eia age, somne,  
10 Eia age, somne, ueni, noctis amice, ueni.  
Luciolus te ad puluinum uocat, instat ocellis;  
Somne, ueni, uenias, eia age, somne, ueni.  
Luciolus te in complexum uocat, innuit ipse,  
Innuit; en uenias, en modo, somne, ueni.  
15 Venisti, bone somne, boni pater alme soporis,  
Qui curas hominum corporaque aegra leuas.

### **9. naenia secunda ad uagitus sedandum. nutrix canit**

Ne uagi, ne, blande puer, ne, paruule, uagi;  
Blanda rogat blandum Lucia Luciolum.  
Ne uagi, ne lacrimulis corrumpere misellis  
Turgidulosque oculos turgidulasque genas.  
5 Ecce tibi balbo ore sonat, blaeso ore susurrat  
Eugenia et dulces garrit in aure iocos;  
Ecce tibi mollem inflectens Aurelia uocem  
Fabellas bellas, carmina bella canit.  
Ne uagi, mellite puer; tibi Luscula ludit,  
10 Gestit et ad cunas blanda catella tuas;  
Curtiolus tibi subsultans en se erigit, en se  
Iactitat, en teneri cruscula lambi heri.  
An lingis, lasciue, genas? Ah, curtule Curti,  
Ipsa tibi irascar, curtule Curtiole.  
15 Tune genas, tune ora? Meus puer, improbe Curti,

Luciolus meus est, improbe Curtiole.  
Curtiole, anne audes? Ah risit Lucius, ah se  
Iecit in amplexus Lucius ipse meos.  
En pectus, formose, tuum; mihi dulcia iunge  
20 Oscula, et in solito molle quiesce sinu.

### **Institutio ad uitae cultum et relligionem.**

*Quinquennius filius, Peluina mater*

*Quinquennius*

Dic, mater Peluina, fragor quis tantus et unde?  
Dolia num stringitque cados uindemia et arctat?  
Hei mihi, quam crebri rutilant de nubibus ignes.

*Peluina*

Abde sinu te, nate, meo, atque amplectere matrem,  
5 Ne trepida: di, nate, focus genialibus astant,  
Castaneasque suo prunis cum cortice torrent.  
Illae, ubi sub cinere ardentem sensere fauillam,  
Displosae crepitant; hinc tanta tonitrua coelo  
Disiectique ruunt ignes. Caput exere, nate,  
10 Di mensas liquere, neque est metus ullus ab igne.

*Quinquennius*

Me miserum, properat, procul en uestigia nosco,  
Orcus adest atque ore minax ac dente cruentus.  
Hunc, mater, mihi pelle manu: trahit horrida crura,  
Et quassat caput, et mento riget hispida barba.  
15 Hunc abigas, Peluina, mihi.